



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

20. S. Joachimus Pater Dei Genitricis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum S. Joachimi Sanctissimæ Dei genitricis Patris gloriosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! ò quantum debemus S. Joachimo. Dedit nobis Mariam, & in Maria omnia. Quis non gaudeat hodierna in solemnitate? quis non grate letur viro tam sancto, quàm utili toti universo? nemini cedamus! simus in gratiarum actione primi. Bonum Patrem habemus in D. Joachimo. Quid lugemus?

Instructio meritoria.

Igitur pro majori S. Joachimi gloria sacrum vel audiamus, vel legamus, cui & Litanias addamus de tota Consanguinitate Jesu, Mariæ, & S. Josephi, quod horum fecimus uni, fecimus omni. O quanto cum fœnore meriti!

II.

Pater hic piissimus unicam suam filiam cui consecravit? Cultui Divino. Fili! huc tendant labores! huc omnia nostra reducantur studia! hominibus

bus nihil debemus : Deo universa. Sed
ô quàm inversa vivimus tempora ! ho-
mo hominem rapit ! neglectô Deô !

Instructio meritoria.

Actiones antequam aggrediamus, fle-
xîs genibûs per manus B. Joachimi offe-
ramus Jesu, Mariæ, & Josepho orantes
tria Pater & Ave cum antiphona : *Sub-
tuum Præsidium &c.* & reliquis, quæ
Lytaniis Lauretanis annexæ sunt, oratio-
nibus. A Jove principium ! à Jesu, Ma-
ria, & S. Josepho omne felix auspici-
um !

III.

D. Joachimo mansueta appingitur
columba, ut vel inde illius pate-
sceret innocentia. Justus erat, ideò &
dignus, ut pareret filiam, à qua seden-
tibus in umbra mortis illucesceret sol Ju-
stitiæ Christus Jesus. Innocentia si no-
bis desit, ad S. Joachimum redeamus.
Pater est Mariæ, & Maria Mater nostra.
Quid, & quantum non speremus de
utriusque manu ? Cum Christo enim di-
cere possunt : Data est nobis omnis po-
testas in coelo, & in terra.

M 5

Lu-

Instructio meritoria.

Mors imminet! fili! pro assistentibus Mariam, Joachimum cum S. Matre Anna eligamus, & vel hodie diem Martis constituamus pro speciali eorum cultu, & devotione. Novies dicamus in hunc finem Canticum Mariæ: *Magnificat anima &c. cum 9. Pater & Ave.* Magnificate, & magnificabimini à Jesu & Maria!

Solemnitas SS. Patris Nostri
Benedicti Patriarchæ Monachorum
Gloriosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Filii sumus Magni Patriarchæ, SS. Benedicti: Sed admodum debiles, infirmi, & esurientes. Accedamus ergo & petamus à tanto Patre tres panes, quos petiit S. Bernardus, videlicet: *Sanctitatem vitæ, justitiam heroicorum operum, & pietatem morum.* Fili! Pater porrigit! nostrum est avidè capere.

Instructio meritoria.

Sed non capiamus soli! oremus & pro tota SS. P. Benedicti familia, ut hæc sua fan